



ANdreas in ditione Salisburgensi ex honesta familia natus & educatus fuit, Anno circiter 1495. Hic ab adolescentia arma secutus, magnū sibi nomen comparauit. Nam pro Cæsare in Italia ordines duxit, atq; etiam multoties contra Christiani nominis hostes Turcas in Vngaria feliciter pugnavit. Ad hanc corporis fortitudinem accedebat et prudentia atq; naturalis facundia. Itaq; inclytus Bauariæ dux eum inter copiarum præfectos asciuit, & peditum capitaneum constituit. quam quidem functionem is optimè administravit, & à militibus instar patris habitus fuit. Is ueneranda canitie annos natus quasi septuaginta adhuc in Bauaria supererat in mea peregrinatione per Germaniam, anno 1565, & res sibi commissas fideliter administrabat, ut dignus sit cuius hoc loco inter præclaros Germaniæ Heroas mentio fiat. Anon.